



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Acta concordiæ initæ inter Auscitanam & Cæsaraugustanam Ecclesias
occasione Ecclesiæ Alagonensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

*ACTA CONCORDIÆ INITIÆ
inter Aufcitanam & Cæsaraugustanam Ec-
clesias occasione Ecclesiæ Alagonensis.*

Novit Dominus refugium, & in tempore ira- Anno 1182
cundiæ inter factus est reconci-
liator. Notum sit ergo omnibus hominibus quòd
Aufcitana Ecclesia frequenti & assidua querela Cæ-
saraugustanam pulsavit Ecclesiam super Ecclesia de
Alagon, quam ex donativo A. illustris Regis Ara-
gonensis & confirmatione venerandæ memoriæ Pa-
pæ Innocentij & successorum ejus se canonicè debere
habere fiducialiter assererat. E contrario verò Cæ-
saraugustana Ecclesia constanter asseverabat se præ-
dictam possidere Ecclesiam ex donativo ejusdem ve-
nerabilis & victoriosi Regis Aragonensis A. & ve-
nerabilis Regis Renimiri & confirmatione sanctissi-
mi Papæ Eugenij & successorum ejus. Demum plu-
rimis hinc inde habitis altercationibus, cùm prædi-
cta controversia debito calculo non posset terminari,
arbitrio virorum prudentum sopita est altercatio su-
prædicta. Siquidem G. Aufcitanæ sedis venerabilis
Archiepiscopus & ejusdem Ecclesiæ conventus pari
voto & concordi assensu se supposuerunt arbitrio S.
reverendi Oscensis Episcopi & B. venerandi Olo-
rensis Episcopi & magistri Richardi Tarrazonensis
Episcopi & G. Cæsaraugustani Archidiaconi & G.
Sancij Aufcienfis Archidiaconi & B. viri religiosi
Generensis monachi. Isti autem viri religiosi prædi-
cti pariter arbitrati sunt, habito utriusque partis
assensu, quòd facta permutatione in compensatione
Ecclesiæ de Alagon haberet Aufcitana Ecclesia à
Cæsaraugustana Ecclesiam de Pedrola & Ecclesiam

de Azoec cum omnibus decimis, terminis, & pertinentiis suis in perpetuum possidendis, cum omni jure parochiali, salvo jure dioecesiano, videlicet quarta & cæna, obedientia & correctione Clericorum, cura animarum, & vocatione ad synodum, consecratione Ecclesiarum, & confirmatione christi mandorum, & jure archidiaconali, quæ sibi retinuit in perpetuum Cæsaraugustanus Episcopus. Ordinante verò divina gratia hæc amicabilis compositio unanimiter utrique placuit, & instrumentum præsentis transactionis alphabeto divisum fieri mandavit, & à Metropolitanò Tarragonensi & à Domino Papa confirmari rogavit. Ego G. Auscitanus Archiepiscopus voluntate & assensu totius Capituli Auscitani renuntio per me & successores meos universo juri quod Auscitana Ecclesia cujuscunque donativo vel confirmatione habebat vel habere videbatur in Ecclesia de Alagon, & in commutatione secundum arbitrium prædictum suscipio Ecclesias de Pedrola & Azoec cum omnibus terminis & pertinentiis suis, & hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo. Et ego P. Cæsaraugustanus Episcopus voluntate & assensu Cæsaraugustani Capituli propter hanc renuntiationem & pacem inter nostram & vestram Ecclesiam sectandam dono Auscitanæ Ecclesiæ & vobis G. Archiepiscopo & successoribus vestris & in perpetuum habendas trado per me & successores meos Ecclesias de Pedrola & Azoec cum omnibus decimis, terminis, & pertinentiis suis, salvo, ut supra dictum est, jure dioecesiano & archidiaconali, & hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini MCLXXXII. & æra MCCXX. in mense Novembri, VII. Kal. Decembris, in Iacha, regnante Rege Ildefonso in Aragonia & in Barchinona & in Provincia, & Domino Berengario Archiepiscopo

copo in Tarracona, Episcopo S. in Oscha, Episcopo P. in Cæsaraugusta. Petrus Dei gratia Cæsaraugustanus Episcopus subscripsi. Berengarius Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus. Ego Geraldus Auscitanus Archiepiscopus hoc transactionis instrumentum signo meo confirmo & propria manu corrobore. Ego G. Auscitanus Archidiaconus subscribo, & hoc signum facio. Ego Petrus Prior &c. & hoc signum facio. Ego Stephanus Oscensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio. Ego Bernardus Olorensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio &c. Ego Raimundus hanc cartam scripsi, & hoc signum facio.

*CÆLESTINI III. PAPÆ
epistola ad Capitulum Narbonense, qua
confirmat translationem Berengarij Episcopi
Ilerdensis ad metropolim Narbonensem.*

Cælestinus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Capitulo Narbonensi salutem & apostolicam benedictionem. Quod Episcoporum mutationes utilitatis vel necessitatis causa possint auctoritate apostolica licite fieri tam canonum statuta quam antiqua sanctorum patrum exempla manifestius protestantur. Etenim beatus Petrus, magister noster & princeps, de Antiochia Romam translatus est, ut ibi magis proficeret. Eusebius quoque Alexandriam, Felix Ephesum pro eadem causa fuit huius almæ sedis auctoritate translatus. Hac itaque ratione considerationis & aliarum plurium mutationum exemplis inducti, nimirum respicientes ad utilitatem Narbonensis Ecclesiæ & necessitatem temporis, quo in vestris partibus hæresum & sectarum

Annò 1191.
Vide Innoc.
III. lib. 10.
epist. 68.

Q